



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quām extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de  
Romæ, MDCCXVIII**

Casus II. Argumentum. Juspatronatus Gentilitum, an donari possit per eos  
de familia, & an reservato Jurepatronatus favore familiæ, hoc competat  
tam Nobilibus, quam Ignobilibus ejusdem familiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](#)

que eo quod coram Rmō Molines Generali Hispaniarum Inquistore, & 26. Junii 1702. §. Et ob id coram Reverendissimo D. meo Ansaldo Decano, & in d. Constantien. Vno-nis §. Praesertim.

Et ita Promotore Fiscalis tantum informante &c.

### ARGUMENTUM.

Juspatronatus Gentilitium an donari possit per eos de familia, & an reservato Jurepatronatus favore familiæ hoc competit tam Nobilibus, quam Ignobilibus ejusdem familiæ.

### S U M M A R I U M .

- 1 *Ultimus de familia potest validè donare extraneo juspatronatus gentilitium. Limita ut ibi.*
- 2 *Qualis est observantia, talis præsumitur fundatio.*
- 3 *Una rata jurispatronatus an possit esse gentilitia, & altera hæreditaria, & num. 15.*
- 4 *Patronus existentibus eis de familia potest donare juspatronatus gentilitium in proprium præjudicium, non verò in prædicium eorumdem de familia. Limita ut ibi, & quare? Vide num. 6.*
- 5 *Reservato jurepatronatus favore Primo-geniti proximioris de familia, non potest Primogenitus proximior illud donare remotori de eadem familia in præjudicium proximioris.*
- 6 *Juspatronatus mixtum donari non potest extraneo.*
- 7 *Enumerantur species Nobilitatis.*
- 8 *Pauper descendens à familia Nobili, licet non sit Nobilis nobilitate honorum, aut divitiarum, est tamen Nobilis nobilitate natalium.*
- 9 *Nobilitas natalium non perditur per paupertatem.*
- 10 *Reservato jurepatronatus pro eis de domo, & familia, hoc competit tam Nobilibus, quam Ignobilibus ejusdem familie. Amplia ut num. 12.*
- 11 *Vox, seu rata jurispatronatus donata à Patrono alteri Compatrono, induit naturam illius portionis, cui vox, seu rata donata accedit.*
- 12 *Donatio jurispatronatus facta à Patrono*

*alteri Compatrono, dicitur potius remisso jurispatronatus, quam donatio.*

### C A S U S I I .

**Q**uidam Fundator in limine fundationis Beneficii reservavit Juspatronatus pro una voce favore Titii, ejusque hæredum, pro alia verò voce favore eorum de propria domo, & familia; Titius vocem sibi à Fundatore reservatam pleno jure donavit eisdem de domo, & familia Fundatoris. Hinc Caius credens se esse ultimum de hac domo, & familia donavit de consensu Ordinarii donatione irrevocabili inter vivos Juspatronatus cuidam extraneo. Succedente vacatione præfati Beneficii comparuit quidam de dicta domo, & familia ignobilis, & ignotus, & in humiliiori fortunæ statu constitutus impugnans tamquam nullam hanc donationem jurispatronatus factam à Cajo, prætendendo ad se spectare in hac vacatione Beneficii jus præsentandi Rectorem ad exclusionem dicti extranei Donatarii. Quæro in hoc casu, an hujusmodi donatio jurispatronatus sustineatur?

I Et videtur respondendum affirmativè; Ultimus enim de familia potest validè titulo donationis irrevocabilis inter vivos de consensu Ordinarii transferre in alium etiam extraneum Juspatronatus. Cum hoc in ultimis de familia, nisi eis fuerit reservatum taxativè, efficiatur hæreditarium, juxta celebre consilium Anchurani, & auctoritates supra relatas Can. I. & II. Cas. XVI. nu. 1. quibus addo Loster. de re benef. lib. 2. q. 11. num. 11. Vivian. de jurepat. lib. 4. cap. 9. nu. 1. Palm. alleg. 159. num. 20. tom. 2. Rot. decis. 280. num. 22. coram Thomato tom. 2. decis. 106. num. 5. coram Coccin. & decis. 319. num. 1. par. 3. recent. & in Valentina Beneficii 26. Februarii 1697. §. Ex facto coram Eminentiss. Priolo, & in Lucana Beneficii 22. Februarii 1709. §. Quo verò coram R.P.D. Falconerio, nunc Urbis Gubernatore, & in Nolana Beneficii 2. Maii 1712. §. Neque attendi coram eodem, fecus si fuisset reservatum eis de familia taxativè, & cum clausulis taxativis, tunc enim ab ultimo de familia donari non posset, sed Beneficium efficeretur liberum. Rocch. de Curt. de jurepatr. verb. ipse, vel is num. 73. Fagnan. in cap. Perlatum

*rum de jurepat. num. 23. Capon. discept. 12.  
num. 14. tom. 1. Paris. conf. 48. num. 6. & 7.  
tom. 4. Gabriel. conf. 196. num. 2. tom. 2. Pi-  
ton. discept. Eccles. 33. num. 3. & alii per  
me relat. ubi supra d. Cas. XVI.*

Nec meretur attendi instantia, & op-  
positio illius, qui licet sit de familia, &  
domo Fundatoris, est tamen ignobilis,  
quia ipse non videtur comprehensus in  
reservatione Jurispatronatus, dum Fun-  
dator reservando Juspatronatus favore  
eorum de propria domo, & familia, præ-  
sumitur illud reservasse pro Nobilibus,  
non verò pro Ignobilibus ejusdem fami-  
liae, sicuti de facto demonstravit subse-  
quuta observantia, iuxta quam semper  
2 Nobiles familiae præsentarunt. Qualis  
autem est observantia, talis præsumitur  
fundatio. *Lotter. de re benef. lib. 2. qu. 11.  
num. 125. Card. de Luc. de jurepat. disc. 60.  
num. 9. Tondut. quest. benef. par. 3. num. 42.  
Rot. decis. 364. num. 1. coram Emer. jun.*

Sed quatenus admittatur hujusmodi  
donatio Jurispatronatus non sustineri  
pro ea rata, & voce à Fundatore relata  
favore eorum de domo, & familia, eo  
quia præfatus ignobilis sit revera com-  
prehensus in hac reservatione, tamen ne-  
gari non posse videtur, quod saltēm su-  
stineatur pro ea rata, & voce, quæ ab ini-  
tio fuit reservata ab eodem Fundatore  
favore Titii, & deinde ab hoc donata ei-  
dem de domo, & familia; hæc enim vox  
cùm fuerit hæreditaria, & transmissibilis  
per Titium ad quoscumque, retinuit  
etiam in eis de dicta familia Donatarii,  
eandem qualitatem hæreditariam; non  
3 implicat enim unam ratam Jurispatrona-  
tus esse gentilitiam, & alteram hæreditari-  
am. *Card. de Luc. de jurepat. disc. 35. n. 5.  
Piton. discept. Eccles. 33. nu. 2. Rot. in Imo-  
len. jurispatronatus 27. Januar. 1710. S. fi-  
nal. coram R.P.D. Lancetta.* Ac proinde  
donato absolutè, & simpliciter Jurepa-  
tronatus à Cajo, qui creditur se esse ultim-  
um de familia favore supradieti extra-  
nei; hæc donatio saltēm ustinebitur pro  
ea voce hæreditaria, adeout extraneus  
donarius si non in totum, saltēm pro  
una voce poterit præsentare in hac vaca-  
tione Beneficii; cùm Juspatronatus hære-  
ditarium donari possit extraneis, ex au-  
toritatibus superiùs relatis §. Et vide-  
tur.

His tamen non obstantibus censeo  
hanc donationem Jurispatronatus factam  
à Cajo, qui creditur se esse ultimum de  
familia Fundatoris favore extranei, nul-  
latenus sustineri. Quoniam licet ille de  
familia Patronus possit donare Juspatro-  
natus gentilitium durante tantum ejus  
vita, extraneo, in proprium præjudicium.  
*Covarr. var. resol. lib. 2. cap. 18. num. 10.  
Garz. de benef. par. 5. cap. 9. num. 70. Lot-  
ter. de re benef. lib. 2. q. 11. num. 14. Capon.  
discept. 12. num. 22. tom. 1. tamen non va-  
let illud absolutè, & perpetuo titulo do-  
nationis validè in extraneum transferre,  
existentibus eis de familia à Fundatore  
contemplatis in horum præjudicium, nisi  
isti de communi consensu approbent  
hanc translationem, & donationem. Rocc.  
de Curt. de jurepatr. verb. ipse, velis n. 72.  
Lambertin. de jurepat. lib. 1. par. 2. q. 2. art. 8.  
num. 6. Covarr. var. resol. lib. 2. cap. 18. n. 10.  
Vivian. de jurepat. lib. 4. cap. 9. num. 4. Pa-  
ris. conf. 48. num. 6. lib. 4. Gabriel. conf. 96.  
num. 2. lib. 2. Garz. de benef. par. 5. cap. 9.  
num. 70. Lotter. de re benef. lib. 2. qu. 11.  
num. 6. Palm. alleg. 159. num. 18. to. 2. Rot.  
decis. 103. num. 15. par. 13. rec. & in Bononi-  
en. jurispatronatus de Ghisleriis 22. Apri-  
lis 1695. §. *Justitia coram bo. me. Pio, & in*  
*Asten. jurispatronatus 14. Februarii 1698.*  
*§. Steterunt coram clar. mem. Card. Capra-  
ra, & in Faventina Beneficii 11. Decemb.  
1702. §. Cùm supposito coram eodem Card.  
Capra, & in Fossanen. jurispatronatus 12.  
Martii 1703. §. final. coram eodem Card.  
Capra, & in Tridentina jurispatronatus  
26. Martii 1703. §. Respectu coram Emi-  
nentiss. Scotto, & in Compostellana Paro-  
chialis 1. Martii 1709. §. Nullitas coram  
Eminentiss. Priolo, & in Casertana Benefi-  
ci 13. Decembbris 1709. §. Etenim coram  
R.P.D. Kaunitz, & resolutum fuit à Sac.  
Congregatione Concilii in Florentina do-  
nationis jurispatronatus 12. Augus. 1679.*  
5 Sicuti reservato Jurepatronatus favore  
primogeniti proximioris de familia, non  
potest primogenitus proximior illud alien-  
are, & cedere favore remotioris de ea-  
dem familia in præjudicium proximioris,  
qui sublato de medio cedente, seu alien-  
ante, tamquam proximior succedere de-  
beret. *Dec. conf. 443. num. 292. lib. 2. Ro-  
man. conf. 20. num. 6. Tiraquell. de jure pri-  
mog. q. 27. num. 4. Molin. de primogen. lib. 1.  
cap. 6.**

cap. 6. num. 45. & cap. 16. num. 32. , & alii  
relat. per Rot. in Ferrarien. primogenitura  
14. Martii 1712. §. Absque eo, coram  
R.P.D. Crispo.

6 Ratio autem est, quia existentibus eis  
de familia à Fundatore contemplatis Pa-  
tronus non possidet Juspatronatus purè,  
& simpliciter, sed cum onere, & obliga-  
tione illud restituendi eisdem de familia.  
Unde non potest horum spem decipere,  
his venientibus ex propria persona, & ju-  
ra sua à Fundatore metientibus præjudi-  
care, Juspatronatus alteri, qui non sit de  
familia, perpetuò donando, ut optimè ra-  
tiocinatur *Textus in l. s. duobus §. sed quia C. de legat.* ibi -- *Quia satis absurdum est,*  
*& irrationabile, rem, quam in suis bonis*  
*purè non possidet, eam ad alias posse trans-*  
*ferre, & alienam spem decipere.* Ob quam  
7 rationem neque potest Patronus Juspa-  
tronatus mixtum extraneo donare, cùm  
pro illius acquisitione requiratur utra-  
que qualitas, nimirum, quod quis sit hæ-  
res, & de sanguine. *Rot. decis. 47. num. 17.*  
*post Tondut. de pension.* & *decis. 96. nu. 18.*  
*par. 6. recen.*, & *in dicta Compostellana pa-*  
*rochialis 1. Martii 1709. §. Nullitas coram*  
*Eminentiss. Priolo.*

8 Nec dici potest, quòd ille, qui compa-  
ruit, & se opposuit huic donationi factæ  
à Cajo non sit comprehensus à Fundatore  
in reservatione Jurispatronatus, eo quia  
sit Ignobilis. Quatuor enim à Doctoribus  
assignantur species Nobilitatis; Alia est  
Nobilitas Theologica, & supernaturalis  
consistens in gratia sanctificante, & gra-  
tum faciente, quæ sola est vera, & pro-  
pria Nobilitas, & qui taliter sunt Nobi-  
lies, filii Dei dicuntur, ad *Text. in cap. s. ex bono de pénit.* dif. 4. Alia est Nobilitas  
moralis, seu animi, quæ nihil aliud est,  
nisi splendor, & dignitas quædam ex vir-  
tutis amore, prosecutione, & observatio-  
ne procedens; *juxta Text. in cap. nemo de*  
*vitiis dif. 56.*, & secundùm Stoicorum  
opinionem illi soli dicuntur Nobiles, qui  
sunt Sapientes, & virtutis compotes, seu  
qui virtuti inserviunt, obsequuntur, & in-  
sudant; Alia est Nobilitas naturalis, quæ  
est quædam qualitas naturaliter, vel ex  
actuum excellentia insita, reddens ali-  
quem Nobiliorem præceteris, ut patet  
in Artificibus, quorum aliis præcellunt  
ob artis, industrie generositatem; Et

alia est Nobilitas politica, & civilis, &  
hæc alia dicitur Nobilitas natalium, seu  
generis consistens in eoruscatione san-  
guinis parentum, seu in origine, & de-  
scendentia ab eis, qui sunt, aut fuerunt  
Nobiles: Alia Nobilitas honorum, quæ  
est qualitas, seu dignitas quædam per  
Principem, seu Principatum tenentem  
collata, per quam quis honorabilior præ  
ceteris efficitur, & alia Nobilitas divi-  
tiarum consistens in harum affluentia, ut  
colligitur ex *Abbat. in cap. Venerabilis de*  
*præb. n. 4. ex Bono de Curti. de Nobilit. par. 2.*  
*tract. magn. tom. 5. pag. 4. Joan. le Cloer. de*  
*primogen. art. 2. num. 10. & seqq. signanter*  
*num. 15. tract. magn. tom. 7. pag. 70. Tira-*  
*quell. de Nobilitate cap. 3. num. 3. Lotter. de*  
*re benefic. lib. 2. q. 5. num. 80. Hoc posito.*  
9 Ille, qui se opposuit præfatæ donationi  
Jurispatronatus, licet non sit Nobilis no-  
bilitate honorum, aut divitiarum, eo quia  
sit in paupertate constitutus, est tamen  
Nobilis nobilitate natalium, seu generis,  
cùm descendat, & sit de eadem domo, &  
familia Nobili Fundatoris. Quæ Nobili-  
tates natalium, licet sine divitiis sit, sicut  
fides sine operibus, tamen per paupertati-  
tem simpliciter non perditur, ut testantur  
*Bonus de Curti. de Nobilitate par. 7. nu. 4.*  
*tract. magn. tom. 5. pag. 22. Tiraquel. eodem*  
*tract. cap. 25. num. 5.*

Ac proinde ipse, licet Ignobilis, ob de-  
fectum divitiarum, & honorum, dicitur  
comprehensus in reservatione Jurispato-  
natus facta à Fundatore pro eis de-  
ejus familia, & domo; cùm nomen do-  
mus, & familiæ comprehendat universam  
familiam, nulla habita distinctione Nobi-  
lium, vel Ignobilium. *Vivian. de jurepat.*  
*lib. 4. cap. 9. num. 55. §. Nec obstat, & in*  
*puncto Rot. in Mediolanen. Prioratus super*  
*dubio Ignobilium 15. Junii 1703. §. Tota-*  
*itaque coram Eminentiss. Scotto.*

12 Minimè attento, quòd illi de familia  
Ignobiles, ratione defectus divitiarum, &  
honorum in præteritis vacationibus Be-  
neficii nunquam præsentaverint, ex hac  
namque observantia excludi non potest  
præfatum Oppositorum Ignobilem à suc-  
cessione hujus Jurispatronatus gentilitii,  
& à præsentatione in hac vacatione Be-  
neficii; quoniam ipsa non probatur cum  
suis requisitis, nimirum, quod occurren-  
tibus vacationibus adfuerint Ignobiles  
de

de dicta familia, quod Nobiles praesentaverint cum horum scientia, & patientia, & privative quoad eos, quodque ipsi Ignobiles praesentaverint, & eorum presentationes fuerint rejectae, prout requiritur ad effectum excludendi ratione subsecutae observantiae Ignobilem de eadem familia a presentatione in futuris vaccinationibus Beneficii. Card. de Luc. de jurepatr. disc. 35. num. 7., & in terminis Rot. decis. 103. num. 17. par. 13. rec., & in dicta Mediolanen. Prioratus super dubio Ignobilium 19. Novembris 1703. §. Nec etiam coram Eminentiss. Scotto.

Minusque sustineri valet eadem donatione Jurispatronatus facta a Cajo, quoad illam vocem donatam a Titio eis de dicta familia, haec enim vox post donationem amisit qualitatem hereditariam, & transmissibilem ad quoscumque, & assumptit qualitatem gentilitiam, adeo ut existentibus eis de familia non potest titulo donationis in extraneum transferri.

13 Siquidem donante Compatrono suam vocem, seu ratam alteri Compatrono, haec propter individuitatem Jurispatronatus consolidatur cum altera voce Compatroni donatarii, & hujus induit naturam, cum quodlibet augmentum sequatur naturam subjecti principalis, cui facta est augmentatio, & regulatur secundum naturam, & qualitatem ejusdem rei principalis, juxta consil. Soccin. sen. 153. num. 10. vers. confirmatur volum. 2. & conf. 67. num. 6. volum. 4. Bellon. de jur. accrescen. cap. 9. q. 43. & 44. per tot. Rot. in Gerunden, Prioratus super reservatis 14. Decembris 1703. §. Prout neque coram Reverendiss. Molines, & in Tridentina beneficiorum 20. Junii 1712. §. Fortius coram R. P. D. Ansaldo superius impress. Par. I. Can. VI. Cas. II. num. 14. Immo donatio 14 haec facta a Titio sua rate, & vocis eis de dicta familia non est propriè donatione, sed potius remissio Juspatronatus, per quam efficitur, ut solum illi de familia possint validè presentare, juxta Gloss. in Can. XVIII. verb. liberaliter contulisset ibi: Verius videtur, quod haec non erat vera donatione, quia uterque istorum fratrum erat verus Patronus in solidum &c. & ideo nihil dedit in veritate, sed concessit fratri tantum liberam ordinationem Ecclesiarum, ut ipse solus posset presentare. Lambertin. de

jurepatr. lib. 1. par. 2. q. 1. art. 12. num. 1. 7. & 8.

15 Neque obstat, quod una rata Jurispatronatus possit esse gentilitia, & altera hereditaria, hoc enim procedit in casu quo adsit diversitas personarum, seu linearum, juxta Card. de Luc. de jurepatr. disc. 35. num. 10. Rot. decis. 798. coram Merlin. Secus quando consolidatur in una, eademque familia, & in eisdem personis possidentibus alteram vocem, seu ratam Jurispatronatus, ut docet Rot. decis. 446. num. 10. coram Roxas, & decis. 667. n. 13. & seq. par. 18. tom. 2. rec.

#### ARGUMENTUM.

Donato donatione inter vivos Jurepatronatus ab ultimo de familia Fundatoris, si iste vergat ad inopiam, an Ecclesia teneatur ei praestare alimenta; Et si tam Donans, quam Donatarius sit pauper, quis eorum sit preferendus?

#### S U M M A R I U M.

- 1 Jus alimentorum est unus ex fructibus jurispatronatus.
- 2 Translato titulo donationis jurepatronatus in extraneum, an in eum censeatur translatum jus, & usus alimentorum, & num. 9. & 10.
- 3 Donato jure presentandi pure, & simpliciter, aut cum clausulis tantum, solum, non transit in Donatarium jus alimentorum.
- 4 Jus alimentorum transit in Patronum extraneum.
- 5 Donatarius jurispatronatus an, & quando alere teneatur Donatorem, & nu. 16.
- 6 Donatarius jurispatronatus si deleret Arma, & Insignia Patroni donantis ab Ecclesia, esset privandus donatione.
- 7 Ecclesia Patronalis tenetur alere ultimum de familia inopem donantem jurispatronatus, & quarè? Vide ibi. Limita, ut num. 8.
- 9 Jus alimentorum extinctis omnibus de familia Fundatoris, transit in extraneum titulo donationis jurispatronatus causa mortis.
- 10 Sed non transit titulo donationis jurispatronatus inter vivos factæ ab ultimo de familia, isto adhuc vivente, & quarè? Vide n. 11. Amplia, ut n. 12. & 13.

Dō-